



J. Goussier del. B. Goussier sc.

Ut cum secundo fulserit,
Metuque mundum cinxerit,
Non pro reatu puniat,
Sed nos pius tunc protegat.

Virtus, honor, laus, gloria
Deo Patri, cum Filio,
Sancto simul Paraclito,
In saeculorum saecula. Amen.

Crastina die delebitur iniquitas terrae. Et regnabit super nos Salvator mundi.

Ad Benedictus Antiphona.

Orietur sicut sol Salvator mundi: & descendet in uterum Virginis, sicut imber super gramen, alleluia.

Oratio.

Deus, qui nos redemptionis nostrae annua expectatione laetificas: presta, ut Unigenitum tuum, quem Redemptorem laeti suscipimus, venientem quoque iudicem securi videamus, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Qui tecum vivit.

Et dicitur per Horas diei.

Prima dicitur sicut in Duplicibus, & ad Absolutionem Capituli dicitur Capitulum Nonae.

Ad Tertiam Antiph. Hodie sciatis. Capitulum. Paulus, servus. ut supra. 210.

Re. br. Hodie sciatis, Quia veniet Dominus. Hodie sciatis.

Et mane videbitis gloriam ejus. Quia. Gloria Patri. Ho-

die. Constantes estote. Videtis auxilium Domini super vos.

Ad Sextam Antiphona.

Crastina die.

Capitulum.

Rom. 1.

Qui praedestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri.

Re. breve. Crastina die, Delebitur iniquitas terrae. Crastina die. Et regnabit super nos Salvator mundi. Delebitur iniquitas. Gloria Patri. Crastina die. Crastina erit vobis salus. Dicit Dominus Deus exercituum.

Ad Nonam Antiphona.

Crastina erit.

Capitulum.

Rom. 1.

Per quem accepimus gratiam, & Apostolatum ad obediendum fidei in omnibus Gentibus pro nomine ejus, in quibus estis & vos vocati Jesu Christi Domini nostri.

Re. br. Crastina, Erit vobis salus. Crastina. Dicit Dominus Deus exercituum. Erit vobis salus. Gloria Patri. Crastina erit. Crastina die delebitur iniquitas terrae. Et regnabit super nos Salvator mundi.